

daciæ quod impetrabit pro se aut per alium aliquid prædictorum beneficiorum per renuntiam aut expectativam, aut alio quovismodo, ille intelligatur esse, et sit incursus in pœnam publicam perpetui exilii de hac urbe nostra et de omnibus locis nostris terra et mari, nec possit unquam ei dari possessio illius beneficii, quod obtinisset contra hunc ordinem. Quicumque vero impetravissent jam ut supra præbyteratum, diaconatum vel subdiaconatum aliquem, nec possessionem adhuc habuissent, omnes obligati sint renuntiare hujusmodi suis impetrationibus, sub pœna suprædicta. Executio autem partis præsentis committatur Advocatoribus nostris Communis et singulis eorum sine Consilio aliquo.

150 — 24 — 2

Exemplum.

1520, die 30 Martii, in Rogatis.

Etsi honestatis et rationis est ut causæ ecclesiasticæ in prima instantia judicentur a iudicibus ordinariis, sive in partibus sicuti etiam decretum fuit nuperrime canonica constitutione Concilii Lateranensis, tamen omnes, ut plurimum, faciunt committi causas ejusmodi in Rota, et quidam nullum habent respectum quacumque de causa, licet parvi momenti, faciendi citari in curiam Romanam cives et subditos nostros, in supplicationibus instantes cum juramento, se iusticiam non posse hic assequi: rem certe inquam et ignominiosam, neque tollerandam modo aliquo: eo magis quod citantur multi contra quos feruntur sententiæ in absentia, cum propter impotentiam non habuerint modum eundi aut mittendi ad defendendum jura sua. Quamobrem, cum afferendum sit huic ipsi rei remedium opportunum, ita ut semel omnibus provisum sit nunc et in futurum, neque amplius Dominio nostro querelæ fiant quæ infinitæ fieri consueverunt quotidie de hoc ipso cum imploratione suffragii: Vadit pars, quod auctoritate huius Consilii, captum et deliberatum sit, quod nemo, et sit quis esse velit, conditionis, gradus et qualitatis cujuscumque, possit facere citari in Rota, per se neque per alium, pro aliqua causa in prima instantia aliquem civem aut subditum nostrum, sed quisque debeat agere litem suam ejusmodi coram suo iudice ordinario sive alio, in partibus hic Veneciis aut alibi in jurisdictione nostra ubi melius videbitur esse et commodius pro utraque parte. Ille autem qui

aliter fecerit tempore aliquo, immediate incurrat in pœnam exilii perpetui de hac urbe nostra et de omnibus aliis terris et locis nostris terrestribus et maritimis. Ad hoc, si fuerit laycus, cogatur solvere ducatos ducentos Advocatoribus nostris Communis. Sub eisdem pœnis obligati sint remove se a iudicio Rotæ etiam omnes illi qui in prima instantia ut supra faciunt litem, sive impetraverunt litteras citatorias pro facienda lite in ipsa Rota alicui civi aut subdito nostro, subito postquam habuerint notitiam hujus nostri ordinis.

Et quoniam sæpe accidit quod propter unum contra quem fuerint latæ sententiæ et litteræ executionales pro aliqua causa, interdicatur ecclesiæ et parochiæ universæ in qua habitat: id quod potissimum procedit a notariis qui sine respectu faciunt executionem quando dictæ litteræ eis presentantur; ideo, causa providendi huic quoque rei, captum sit quod de cætero notarii tam hujus civitatis quam subditi nostri, ex se nullo modo possint exequi executionales ulla nec facere cedulas sicuti consueverunt, interdicentes cuiquam ecclesiæ divinis officiis, causa unius aut plurium abitantium in eo vico et contrata, sub pœna privationis perpetuæ exercendi notariatus ac exulandi per decennium hac urbe nostra et ducatu, sive illa urbe ejusque districtu de qua esset notarius contrafaciens, sed quisque debeat, quotiens requiretur ad faciendum executionem hujusmodi, venire petitem a Dominio nostro licentiam, quæ ulli dari non possit nisi scripto, et saltem per quatuor Consiliarios, nec possit fieri aliqua deliberatio quovismodo contra ordinem præsentem, nisi pars fuerit posita per omnes Consiliarios, tria Capita de XL et per omnes Sapientes utriusque manus, et nisi etiam capta fuerit per quinque sexta ballotarum hujus Consilii congregati ad numerum 150 supra. Et præsentis partis executio committatur Advocatoribus communis et singulis eorum absque ullo Consilio.

160 — 22 — 4

Fu posto, per sier Zuan Antonio Memo, el Cao di XL, che li Censori da esser electi *de cætero* non abino li ducati 10 al mexe, ma ben siano eleti con li modi e pene etc.; et compito harano l'officio, possino venir per do anni in Pregadi metando balota; la qual parte si habbi a meter a Gran Consejo.

Et a l'incontro sier Antonio Trun procurator savio dil Consejo, messe che non si fazi ditti Censori compito arà sier Batista Erizo, che al presente si ritrova, perchè sier Daniel Renier, ch'è Censor, è rimasto Savio dil Consejo.

(1) La carta 222* è bianca.